





9. 11. num. 22.

Q. D. B. V.

DE

CAVSSIS VIM ET  
AVCTORITATEM LEGVM  
MINVENTIBVS

P R A E S I D E

D. GEORGIO STEPHANO  
WIESANDIO

PROFESSORE INSTITUTIONVM ORDINARIO CVRIAЕ  
PROVINCIALIS SCABINATVS ATQVE COLLEGIO  
IVRECONSULTORVM ASSESSORE ORDINARIO

DIE XIV. APRIL. A. R. S. CICIOCCCLXXVIII.

H. L. Q. S.

PVBLINE DISCEPTATVRVS EST

A V C T O R

ERNESTVS GOTTLIEB MEINHOFIVS,  
KEMBERGA - SAXO.

VITEBERGAE

EXCUDIT ADAMUS CHRISTIANUS CHARISIUS.



o 175 0  
CINNATI ET  
VACANCIAE  
MUNICIPALIA

DE CINNATI

CONVENTUS  
CINNATI  
CINNATI  
CINNATI

CONVENTUS  
CINNATI  
CINNATI  
CINNATI

CINNATI  
CINNATI  
CINNATI

ILLVSTRISSIMO A<sup>4</sup>

ATQVE

GENEROSISSIMO DOMINO

D O M I N O

HANS GOTTHELF DE GLOBIG,

ZEHISTAE, DOEBSCHKII, GIESENSTEINII ETC.  
DYNASTAE,

SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE CONSILIARIO

INTIMO, SENATVS SANCTIORIS DRESDENSI

PRAESIDI GRAVISSIMO,

DOMINO INDVLGENTISSIMO,

N E C N O N

PERILLVSTRI ATQVE GENEROSISSIMO DOMINO,

D O M I N O

HANS ADOLPH DE CARLOWITZ,

STOESITII, BISCHDORFII, FICHTENBERGII ETC.  
DYNASTAE,

SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE NOBILI CVBICVLA.

RIO PRIMI ORDINIS, CIRCULI MISNENSIS SVMMO

STEVRARVM PRAEPOSITO, ILLVSTRIS, QVOD MISE-

NAE EST, AFRANEI INSPECTORI

SPECTATISSIMO CAET.

DOMINO INDVLGENTISSIMO,

PATRONIS OPTIMIS MAXIMIS  
HANC QVALEM CVNQVE DISSERTATIONEM

SVMMA CVM OBSERVANTIA  
CONSECRAT,

ATQVE

GENEROSO PATROCINIO SE COMMENDAT,  
TANTIS NOMINIBVS

DOMINO JUDICACEISSIMO

DOMINO

HAC AUCTRIE CARLOWITZ

ADDICTISSIMVS CLIENS

ERNESTVS GOTTLIEB MEINHOFIVS.

LIBRARIUS, ZEICHNER, MINISTRIS ET ALIORUM

TIPOGRAPHIUS, IMPRENTOR, GEDRUCKER

ETC. ET C. IN FRANCIA ET ITALIA

LOCUM, DARGENTIOMO



§. I.

**Q**uum legum antiquarum monumenta, earumque interpretanda  
rum fontes paulo diligentius perscrutemur: multas, easque  
saepius utilissimas leges, vel in ipsa sanctione neglectas, vel a tempore  
quasi vietas, quin saepius postea abrogatas fuisse, deprehendimus.  
Quae fors cum Graecorum, Romanorum, aliorumque populorum in-  
flitus contigerit, rerum priscarum censor paulo seuerior facile eo  
adduci potest, vt primo quasi intuitu legum ferendarum rationes im-  
probet, atque iuris antiqui auctores tamquam imprudentes, vel etiam  
custodes legum ut oscitantes negligentesque vituperet. Cum vero mul-  
tae eaque plane diuersae causae vim atque auctoritatem legum min-  
nuant, eas in hac qualicunque dissertatione, pro ingenioi nostri viri-  
bus paulo accuratius investigare cupimus. Ne vero rerum varietas me-  
ditationem nostram perturbet, nosque, certa exponendi consilii nostri  
via non designata, itinere periculo eremus; eum ordinem sequi  
est animus, vt prius de causis, quae legum auctoritatem minuunt, in-  
ternis agamus; deinde externas, quae idem efficere solent, annexa-  
mus. Quia in re priscos potissimum scriptores, qui patriis moribus  
optime imbuti, ipsique ad rempublicam gerendam maxime apti,  
legum virtutes atque vitiis et prudenter perspexere, et ingenue aperuere,  
adire, summa nobis fuit religio.

A 3

§. II.

## §. II.

Legis, tamquam praecepti communis, <sup>a)</sup> omnium rerum diuinarum humanarumque reginae, <sup>b)</sup> primariam virtutem esse perspicuitatem, inter omnes conslat. Cum enim leges vitae recte et commode agendae regulas proponant, ab omnibus debent intelligi, vt ciues earum sanctione recte cognita, vel inhibita declinent, vel permitta sequentur <sup>c)</sup>. Verba itaque omnino ad legislatoris mentem exprimendam requiruntur apta, perspicua, atque usu loquendi recepta. Quia in re Solon, vir alias sapientissimus, peccasse, videtur. Omni enim legum scribendarum negotio peracto, ciues eum quotidie adibant, eo consilio, vt quid in lege fancienda cogitasset, explicaret <sup>d)</sup>. Nemias praesertim legum breuitas, quo minus ciues earum mentem recte perspiciant, faciunt impedit. Licet enim legislator ingenio paullo subtiliori praeditus, totius rei, quae legem exigit, ambitum paucis verbis amplecti posset; omnes tamen ciues in fingendis animi dotibus natura non adeo fautorice usi sunt, vt verborum aenigmata sine erroris periculo solvere, legique satisfacere queant. Multas deinde leges, mutato linguae genio, obscuriores, ideoque inutiles redditas fuisse, conspicimus. Ex eadem causa multa XII. tabularum capita, quorum verba longa aetas obliterauerat, tamquam obsoleta, rei que publicae inutilia lex Aebutia sustulit <sup>e)</sup>. Cum vero bosci legislatoris sit, voluntatem suam tanta opera, quanta fieri potest, ciuibus suis manifestam reddere: Caligula sane in iustam reprehensionem incurrit, qui, cum in vecelligibus dandis ex ignavia scripturae multa commissa fierent, flagitante populo, proponeret quidem legem, sed minutissimi litteris et angustissimo loco, vii ne cui describere licet <sup>f)</sup>. E contrario Nero laudem meretur, propterea quod contra immodestiam publicanorum, qui ob ignotas leges varia exactiōibus illicitis nomina dederant, ita edixit, vt leges eiusus publicani occultae ad id tempus, proscriberentur <sup>g)</sup>.

a) L. 1. D. de leg.

b) L. 2. ibid.

c) L. 9. C. de leg.

d) Plutarchus in Solon. c. 25.

e) Gellius Libr. XVI. c. 10.

f) Suetonius in Caligul. c. 41.

g) Tacitus Annal. Libr. XIII. c. 31.

## §. III.

## §. III.

Deinde vero verba legis ne nimis late pateant<sup>a</sup>, sed iustis potius limitibus sint circumscripta, altera bonae legis, que vel facienda praecipit, vel fugienda prohibet, virtus esse videtur. Multae sane actiones hominum nobis occurunt, quae licet eiusmodi legi non sint contrariae, aequitati tamen et utilitati publicae repugnant. Si iniuriam faxit alteri, viginti quinque aeris poenae sunt, lex est XII. tabularum notissima. Latam vero iniuria significationem, leuemque poenam inter se non cohaesisse, Lucii Veratii, hominis egregie improbi, et immanni cordia praediti, exemplo apparet<sup>b</sup>. Propterea etiam, auctore Q. La beone, praetores postea hanc legem relinquendam esse, censuerunt, iniuriisque aestimandis recuperantes se datus, edixerunt. Lege quoque nimis vaga liberrima testamenti condendi facultas patrifamilias olim fuit concessa, quam quidem, ut alias omittamus, nobis seruauit Pomponius<sup>c</sup>. Licet enim optimus quisque potestate hac ita, ut communis exigebat utilitas, ut debuerit; ea tamen multos in fraudem aliorum abusos fuisse, eamque propterea diuersis postea legibus veluti Aelia Sentia, Furia, Voconia, Falcidia, aliasque, ad iustiorem modum redactam esse, neminem facile fugit. Quale vero detrimentum viuis verbis vaga notio reipublicae inferre poslit, famosae illae maiestatis quaestiones primis imperatorum temporibus, luculenter demonstrant. Eius enim legis termini non erant certi, ita ut maiestatis crimen omnium accusationum complementum haberetur, atque omnes domus delatorum interpretationibus subuerterentur<sup>d</sup>.

a) Gellius Libr. XX. c. 1.

b) L. 120. D. de V. S.

c) Tacitus Annal. Lib. III. c. 25. et Lib. III. c. 38.

## §. IV.

Multa deinde exempla in priscis scriptoribus quasi in illustri monumento posita intuemur, ex quibus cognoscimus, saepenumero gravissima damna legum severitate atque iniquitate in rempublicam fuisse inuenta, indeque accidisse, ut eiusmodi leges diu haud obtinuerint. Cuius quidem rei ratio in promtu est. Namque leges singulos ciues a vi iniuriaque defendere, nihilque magis cauere debent, quam ne quis iniquo danno afficiatur. In iis quoque, quae ad impia improborum homi-

hominum facta punienda spectant, poenarum modus, criminibus vel  
 leuioribus vel atrocioribus vindicandis constitutus, ita erit seruandus,  
 ne omnia, ut Draconis leges, ense recidere velint. Neque eius leges,  
 sanguine, non atramento scriptae, omnia vitia funditus extirparunt.  
 Certe ipsa reipublicae melius ordinandae cura, Solonem, ut meliores  
 aliorum popolorum leges inquireret, & praecepta, ciuium commodis  
 magis apta componeret, adduxisse videtur. Ille vero omnes Draconis  
 leges, quia is ab aequitate naturali nimis recesserat, atque verbi cauſa,  
 otii reum, vel olera fructusue surripientem, morte multo auerat, prae-  
 ter homicidii poenam, abrogauit, & ciuibus suis leges seripſit longe  
 commodiore, aliarum ciuitatum imitatione dignissimas <sup>a)</sup>. Idem  
 fatus Syracusani lex de petalismo, quae Graecorum ostracismum  
 imitabatur, fuit experta. Cum enim viri genere, opibus aequo  
 virtute maxime conspicui, fortunam suam fallaci auræ populari  
 iudicioque hominum, priuatis commodis, oditissue obtemperantium  
 commissari viderent, ideoque omnes plene reipublicae curas omitterent,  
 et potius otiosam, quam periculosam vitae rationem eligerent; homi-  
 nes vero nulla ciuilis prudentiae cognitione imbuti, audacia atque in-  
 ſitia sua immo supremaque miserent, omnemque rem publicam subuer-  
 terent, effrenata quoque libido in dies magis cresceret; Syracusani mox  
 compulsi sunt, vt iniquam petalismi legem abrogarent, virisque bene  
 meritis honores atque securitatem restituerent <sup>b)</sup>. Huc pertinet Romuli  
 institutum, quod parentibus liberorum tria vice vendendorum pote-  
 statem concedebat, quam quidem, licet fatis popularis effet, tamquam  
 natalibus ingenuis inimicam, laudare nullo modo possumus. Neque  
 lex amori, quo parentes natura feruntur in liberos, contraria, posteris  
 placuit, cuius quidem auctoritas mox fuit minuta. Etenim Numa, mi-  
 tis ingenii vir, eius vim arctioribus iam circumscripti limitibus, eique  
 filios, qui iubente, vel faltem consentiente patre, matrimonium con-  
 traxerant, eximendos esse censuit, quam postea Iureconsulti, recentio-  
 resque legislatores ita ad naturalem aequitatem redegerunt, vt Diocle-  
 tianus, liberos a parentibus neque venditionis, neque donationis titulo,  
 neque pignoris iure, aut aliquo quolibet modo, in aliud transferri posse  
 manifestissimi iuris esse, iudicaret <sup>c)</sup>. Aliam iam horrendi carminis le-  
 gem adspicio: tertii nundinis partes secanto, si plus minusue secuerunt,

fine

*sine fraude esto. Si volent, trans Tiberim peregre venundando* <sup>a)</sup>. Caecilius quidem apud Gellium monet, dissecatum vñquam esse neminem; nullo tamen modo eo adigi possum, vt poenae immanitate omnes debitorum fraudes sublatas esse, credam. Tacito potius populi Romani consensu, quod in statu populari saepe accidit, dura lex in desuetudinem abiit, atque obliterata est. Nihilo vero feciis conditio obaeratorum apud Romanos fuit tristissima <sup>b)</sup>. Miseri homines ab ipsis iudicibus creditoribus addicebantur, neruo aut compedibus vinciebantur, et quam atroces iniurias a foeneratoribus inhumanis dura lego suffultiis, passi sunt, turbae, quas omni squalore obsisti, contumelia affecti, verberibusque lacerati homines, in publicum se proripientes excitarunt, abunde docent <sup>c)</sup>. Sed haec etiam nimia creditorum licentia, ipsam legem ita minuit, vt variis, praesertim Poetelia Papiria lege, ius antiquum mutaretur, atque addictio corporis et nexus prorsus tolleretur <sup>d)</sup>. Ex eadem causa legis decemuirorum, ne connubia patriciorum et plebis essent communia, querelae plebeiorum hominum, et tribunorum, praesertim Canuleii acres contentiones, annis admodum paucis elapsis, totam vim atque auctoratem patriciis vel inuitis, fregere <sup>e)</sup>. Eodem modo illam XII. tabularum legem: *qui frugem aratro quaestam furtim nox ponit secutus suspenſus Cereri necator. Impubes Praetoris arbitratuſ verberator, noxiānamque duplione decernito*, lex Aquilia mitigavit. Neque ab aliam rationem et illud caput: *si membrum rupit, ni cum eo paicit, talio esto, in desuetudinem abiit* <sup>f)</sup>. Legem Corneliam de liberis proscriptorum ab omnibus honoribus excludendis, a Cæfare imminutam esse, refert Suetonius, <sup>g)</sup> atque illam tandem de exponentibus seruis aegrotantibus, sensim sensimque Claudi præserit sanctione, qua iis conualefcientibus libertas concederetur, debitatam, deprehendimus <sup>h)</sup>. Quibus omnibus vnicum adhuc insignis iniuritatis exemplum nobis adicere liceat. Occiso domino, omnis familia, quae sub eodem tecto manserat, questionibus et suppliciis perferendis erat obnoxia <sup>i)</sup>. Quod cum Nerone imperante accideret, non plebs solum innoxios tanto studio defendit, vt ne sibi quidem a seditione temperaret, sed multi etiam senatores, quos numerus, aut aetas, aut sexus, aut plurimorum indubia innocentia ad misericordiam vertebat, ad eorum, qui nimiam legis severitatem tuebantur, sententiam accessere <sup>j)</sup>. Licet vero eo tempore adhuc severa lex iustum

B

mul-



multorum misericordiam vinceret, et ipse imperator Nero omne iter, quo damnati ad poenam ducebantur, militaribus praefidiis seperit; Hadrianus tamen eam ita correxit, ne de omnibus feruis quaestio haberetur, sed ea de his tantum, qui per vicinitatem poterant sentire, <sup>9)</sup> ea institueretur.

- a) *Plutarchus in Solon. c. 16. 17.*
- b) *Diodorus Sicul. Lib. XI. p. 286. 287. ed. Stephan.*
- c) *L. i. C. de paribus, qui filios suos.*
- d) *Gellius Lib. XX. c. i. Quinctilian. insfr. Lib. III. c. 6. Tertullianus in apolog. c. 4.*
- e) Eadem ex causa Seruius Tullius legem, quae foeneratorum licentiam compesceret, promulgit. *Dionysius Halicarn. Lib. IV. c. 9.* Apud Aegyptios bona debitorum, non corpora creditoribus addicebantur, et Solon ob eandem legis iniustitiam, ~~ετοιαχθεισαν~~ introduxit. *Diodorus Siculus Lib. i. p. 50. Plutarchus in Solon. c. 16.* Alias etiam Decemvirorum, qui summan in republica potestatem molirentur, iniquas factiones, lex Porcia irritas fecit.
- f) *Liuius Lib. II. c. 23. Lib. VII. c. 19. Lib. VIII. c. 28.*
- g) Praetores postea bonorum proscriptione, sive venditionem introduxerunt. Lex Iulia ratione ciuium Romanorum bonorum cessionem permisit, quam principum constitutiones etiam ad prouincias extendebant. *Tir. C. Theod. qui ex lege Iulia bonis cedere. L. 4. C. qui bonis cedere possit. L. 6. C. et L. vlt. D. cod.*
- h) *Dionysius Halicarn. L. X. c. 60. Liuius Lib. IV. c. 3. 4. 5.*
- i) Fuit apud Thurios lex huic simillima, ex simili causa abrogata: *Ἐάν ίσε τίνις ὁ Θαληὺς ἐπούλη, αὐτεκράτεσσαι τὸν ἔκεινον.* *Diodorus Siculus Lib. XII. p. 298.* De Romana lege vide *Gellium Lib. XX. c. 1.*
- k) *Suetonius in Caesare c. XLI. Conferas Dionem Cass. Lib. XXXVII. p. 37. 38.*
- l) *Suetonius in Claud. c. 25. Dio Cassius Lib. LX. p. 788. L. 2. D. qui sine manum. ad libert. peruenit.*
- m) *L. i. D. de Senatuscons. Silanian.*
- n) *Tacitus Annal. Lib. XIV. c. 42. sequ.*
- o) *Spartianus in Hadriano c. 18. L. i. §. 28. D. de Senatuscons. Silanian.*  
§. V.

Sed iam ad externas causas, quae legum vim pariter impediunt vel minuunt, progrediamur. Inter eas sine dubio tempus edax rerum, quod omnibus fere humanis rebus sensim sensimque diuersam faciem induit, primum locum occupat. Quod quidem, si rem paulo accuratis consideramus per se leges nec introducit, nec tollit. Etenim peruersae hominum libidines earum condendarum necessitatem ciuitatibus imponserunt, <sup>9)</sup> variaeque regnorum vicissitudines, mutata ciuium for-

fortuna, moribusque eorum depravatis, leges quoque mutarunt, vel earum saltem auctoritatem minuerunt. Saepe tamen leges acri fludio propositae, breui temporis spatio interposito, fere neglectae sunt. Metus scilicet legis vsu haud obseruatae, paullatim exolevit, et noua eidem auctoritas querenda fuit. Multas antiquas sanctiones, mutato saepe solo nomine recentioribus legibus inesse, deprehendimus. Quod Romuli atque Numiae leges testantur, quas iisdem mortuis, iam vsu obliteratas, Seruius Tullius ad vsum reuocauit <sup>a)</sup>. Ciceronis quoque excusatio, cum in accusando Verre legis, ne quis Senator, quiue senatoris pater fuisset, maritimam nauem, que plus, quam CCC. amphorarum esset, haberet, violationem haud vrgeret, idem demonstrat. Noli, inquit, metuere, Hortensii, ne quaeram, qui licuerit aedificare nauem Senatori. Antiquae sunt istae leges, et mortuae, (quemadmodum tu soles dicere) quae vetant <sup>c)</sup>.

a) Vide, quae Tacitus de legum origine differuit, *Annal. Lib. III. c. 26. sequ.*

b) *Dionylius Halicarn. Lib. IV. c. 10.*

c) *Cicer. in Verr. V. c. 18. Legem afferit Liuius Lib. XXI. c. 63.*

### §. VI.

Cum vero leges a reipublicae forma maxime pendeant, atque cum statu publico vinculo cohaereant arctissimo; mutato ciuitatis statu, vt eae etiam mutentur, necesse est. Illis sane temporibus, quae Ouidius, <sup>a)</sup> et Horatius <sup>b)</sup> describunt, leges etiam conditioni pauperis et tenuis reipublicae responderunt. Inde mulctae XII. tabularum admodum quidem leues, egenis tamen ciuibus satis graues, statutae sunt. Inde lex decemvitorum: *uni plura funera ne facito, neque plures festos fieri*, originem traxit, atque ex eadem causa, cum nullus tum Crassus existeret, qui suis sumptibus exercitum alere potuisset, sed omnium potius priuatorum pecuniae, imminentे vrbi Hannibale, in publicum vsum conuertendae essent, lex Oppia de prohibendo matronarum cultu, lata est <sup>c)</sup>. Cum vero melior laetiorque in dies fortuna reipublicae assulgeret, Romani in Asiam Graeciamque transirent, magnasque opes colligerent, tunc ipsa opulentia illis legibus finem attulit. Lex Oppia, vel ipso Catone maximopere resistente, omnium consensu abrogata est; et quis, quaeprisca frugalitatem amplius eo tempore curauit, vbi Sullae funus sex millibus lectorum decoratum est, Marcelloque mortuo Augustus sexcentos praeferrri iussit? <sup>d)</sup> Antiquus ille rigor, (vt cum Tacito loquar,) cui Romani luxuriae tabe iam infecti, non parerant,



erant, priscis legibus nocuit, atque Augustum, ut quedam ex horrida antiquitate ad praesentem vltum flecteret, commouit <sup>e)</sup>. Quod etiam de variis Germanorum institutis atque legibus dici potest. Cum enim prisa iura, atque iustitia perlustramus, singularem quidem diligentiam, f) in poenis iniuriarum realium, vulnerum, laetionumque desinendis, inuenimus. Sed multarum illis temporibus accommodatarum, in nostris foris nullus iam usus supereft.

a) Ouidius Fast. Lib. I. v. 198. sequ.

Dum populus pauper, dum noua Roma fuit:  
Dum caja Martigenam capiebat parua Quirinum,  
Et dabant exiguum fluminis vltus torum;  
Iupiter angusta vix torus stabat in acce,  
Inque Ionis dextra fictile fulmen erat.  
Frondibus ornabant, quae nunc Capitola gemmis,  
Pafcebatque suas ipse senator oves.  
Nec pudor, in stipula placidam cepisse quietem,  
Et foenum capiti superpositum, fuit.  
Iura dabant populis posito, modo consul avatio,  
Et leuis argenti lamina crimen erat.

b) Horatius Lib. I. od. 12:

— incomis Curium capillis  
Vrilem bello rulit, et Camillum  
Sacra paupertas, et autius apo  
Cum lare fundus.

c) Linius Lib. XXXIV. c. 1. sequ. Tacitus Annal. Lib. III. c. 33. 34. Valerius Maximus Lib. IX. c. 1. §. 3.

d) Servius ad Aeneid. Lib. VI. v. 86. p. m. 412.

e) Tacitus Histor. Lib. I. c. 18. Annal. Lib. IV. c. 16.

f) Singuli nimurum membra corporis, aures, nafum, oculos, digitorum articulos aestimabant, nimisque anxio studio vulnerum menfuras explorabant. Exemplio esse poftum ea, quea lex Salica Tir. 20. et Tir. 32. edit. Eecard. statuit, quibus adiungimus Leg. Frifon. Tir. 22. et Ius Prou. Sax. Lib. II. art. 16. Egregia doctrina hoc argumentum tractauit olim Io. Guilielm. Hoffmannus in obsernat. iur. German. Lib. II. c. 5. sequ. Huc quoque pertinent, aliae Germanoru[m] poenae. v. c. canum gefandorum, vel ducendorum ob violatam pacem publicam. Adeas Wirtschind. Lib. II. et Lehman. chronic. Spirens. Lib. V. c. 4.

### §. VII.

Inter praecipuas autem, quea vti res publicas, ita et leges immunit, cauſas, nimia securitas referri potest. Quemadmodum enim homines calamitatibus vndique circumdati, vel imminentे adhuc periculo, virtutem maiori studio colere, legesque sanctius obferuare solent;

lent; sic e contrario, si nimia felicitate abundant, mores eorum, vi-  
tis nimirum tunc longe facilius irrepentibus, corrumpuntur, vnde fit,  
vt auctoritas legum quasi euaneat. Cuius rei veritatem tam Graeci,  
quam Romani variis exemplis comprobant. Illi bello, quod cum Per-  
fis gesserant, confecto, quod illis virtutum legumque optimarum co-  
tendarum necessitatem imposuerat, mortuo praeterea Epaminonda, di-  
ligentissimo virtutum custode, in tantam fegnitiem torporeaque inci-  
derunt, vi Philippus regnum Macedoniae Graeciae et Asiae gentibus,  
veluti iugum seruitutis imponeret <sup>a)</sup>). Romani dum adhuc cum popu-  
lis fortissimis bella gerebant, paruisse opibus contenti, veterem reti-  
nebant parsimoniam, morum integritatem, ipsasque leges sancte coluerunt. Sed toto terrarum orbe fere subacto, et in primis Carthagine,  
urbis Romae aemula, deleta, non auaritia solum et luxuria urbem im-  
migrarunt, sed eorum etiam mores ita coeperunt ire praecepites, vt  
nulla iam possent remedia pati <sup>b)</sup>). Eo tempore *vetus*, vt *Tacitus* lo-  
quitur <sup>c)</sup>, ac iam pridem *insta mortalibus potentiae cupidio cum imperii*  
*magnitudine adoleuit, erupitque*. Ingens ille libertatis amor, atque  
publica maiestas in comitiis praesertim habendis a plebe contra patres  
saepe accrime defensa, ita euanuit, vi populus Romanus, a cuius ar-  
bitrio imperium, magistratus, et legiones pendebant, omnem publicae  
auctoritatis curam omittenter, et panem tantum et Circenses anxius  
vrigeret <sup>d)</sup>). Quum itaque Caesar muneribus, monumentis, congiariis,  
epulisque multitudinem leniuerat, et Augustus militem donis, con-  
tra priscam disciplinam, populum annonam, cunctos otii dulcedine pel-  
lexerat; verfo ciuitatis statu, facili negotio omnia Senatus munia, ma-  
gistratum, atque legum in se trahere, nullo aduersante, comitorum  
que arbitrium sibi vindicare potuerunt, quae tandem Tiberius e campo  
in curiam transtulit, populo ademtum ius non querente <sup>e)</sup>.

a) *Iustinus Lib. VI. c. 9.*

b) Quod Scipio Nasica praeuidit, et Carthaginem, contra Catonem, qui  
eam defendam esse, censebat, eo consilio seruandam esse, iudicauit, ne  
metu ablatu aemulae urbis, luxuriarum felicitas urbis inciperet. Vid. *Flo-  
rus Lib. II. c. 15.*

c) *Tacitus Histor. Lib. II. c. 38.*

d) Qua ex causa *Iuuenalis* Romanos perstrinxit *Satyr. X.*

— — — qui dabant olim  
Imperium, fastos, legiones, omnia, nunc se  
Continet, atque duas rancrum res anxius virges



*Panem et Cieenses.* — — — Quae r̄atio m̄utatorum comitiorum mihi  
terior esse videtur ea, quam Modestinus *L. i. D. ad leg. Iuliam de ambit.*  
affert.

c) *Tacitus Annal. Lib. I. c. 15.*

### §. VIII.

Vt̄ vero noua reipublicae facies magnam earum legum partem,  
quae ad publicum ius spectant, immiscent, eandem quoque vim nouae  
religioni in rem publicam introductae tribuerūt hanc dubitamus. Sic  
religio christiana, vt̄ vnicō hoc exemplo vtar, eas p̄fserit leges  
Romanas, quae de rebus sacrīs, feriis, iure augurali statuerāt, par-  
tim debilitauit, partim vero plane subuertit. Hinc tempora Deorum,  
quae supersticio exstruxerat, euersa, sacra solemnia intermissa, neque  
victimae amplius emtæ sunt <sup>a)</sup>). Cruenta gladiatoriū spectacula fuere  
sublata atque certamina ludicra, quibus olim populus impense oblectab-  
atur, magis restricta <sup>b)</sup>). Quum praeterea Christi asseclae merito sibi  
nemas esse ducerent, tactis Deorum aris, in litibus persequendis iurare,  
verborum quoque auctoritate atque carmina, a moribus sinceris aliena,  
horrorēt, Romanorum iudicium subsellia atque tribunalia summo stu-  
dio euitarunt, ideoque primi doctores, necessitate id postulante, iu-  
dicia quaedam ecclesiastica compromissoria constituerunt <sup>c)</sup>.

a) *Plinius Lib. X. epist. 97 L. 12. sequ. C. Theodos. de pagan. sacrifici.*

b) *L. vnic. C. de gladiatoriū penitus tollend. Multa lechu digna de hoc ar-  
gumento suppeditat Barnab. Brissonius in commentar. de spectacul.  
p. 230. sequ.*

c) *Vide Bochimeri dissert. iuris ecclesiast. antiqui diff. XII. p. 532. 33. Confe-  
ratur quoque Montesquieu l' esprit des lois Lib. XXIV.*

### §. IX.

His subiiciamus aliam, quae iuri constituto vim adimit caussam.  
Etenim v̄ctores, gentium iure freti, vt̄ saepius ipsam deuictae reipu-  
blicae formam prorsus immutarunt; ita quoque leges priscas imminue-  
runt, et noua iura subiiciuerunt. Quam quidem fortunae iniquitate  
Spartani passi sunt, quibus Achaei v̄ctores instituta legesque Lycur-  
gi, per Septingentos annos seruatas, adimebant <sup>a)</sup>). Romani qui-  
dem, florente adhuc republica, tanta visi sunt felicitate, vt̄ nunquam  
aliarum gentium leges ritusque recipere cogerentur, ipsi vero populis  
subactis vel leges priscas reddiderunt <sup>b)</sup>), vel noua iura praescripsi-  
erunt. Quo iure v̄sus Aemilius Paulus, Macedoniae leges dedit cum tanta cu-  
ra, vt̄ non hostibus viciis, sed sociis bene meritis eas impertiisse vide-  
retur,

retur, et quas ne vſus quidem longo tempore, qui vnius est legum corrector, experiendo argueret <sup>a)</sup>. Hinc Corbulo victae Fristorum nationi agros descriptis, magistratum et leges imposuit, atque inde quoque noua iura Cappodociae et Asiae orta fuit <sup>b)</sup>. Quodsi Italiae etiam fata, ante Iustiniani tempora, paullo diligentius consideramus, Romanas ditiones a gentibus barbaris, Gothis, Longobardis, alisque occupatas, atque antiquarum legum, ob nouas more victorum illatas, vel nullum, vel admodum exiguum vſum fuisse, intelligimus <sup>c)</sup>. Parem fortunam Saxones, a Carolo M. superati, experti sunt. Cum enim eorum in amplectenda religione christiana contumaciam armis fregerat imperator fortissimus, episcoporum dignitatem, auctoritatemque, assignata singulis certa reione, introduxit, et iudices, quibus obtemperandum erat, confituit, legesque illis varias scripsit <sup>d)</sup>.

<sup>a)</sup> *Liuui Lib. XXXVIII. c. 34.*

<sup>b)</sup> Eiusmodi beneficium afferit *Liuui Lib. XXXIII. c. 20.*

<sup>c)</sup> *Idem Lib. XLV. c. 32.*

<sup>d)</sup> *Tacitus Annal. Lib. XI. c. 19. Histor. L. I. c. 78.*

<sup>e)</sup> Huc praeſertim pertinet decretum Chindeswindi regis, quod *Lex Wifis-Gothorum Lib. II. Tit. 1. l. 9.* continet. Licet vero, dum leges Longobardicae obtinabant, vestigia quadam iuris Rom. in Italia remanerent, id tamen peregrinis conuenientibus postpositum est. Vide *II. P. 1.*

<sup>f)</sup> *Eginhardus in vita Caroli M. c. VII. et Poera Saxonum ad annum 803.*

### §. X.

Quemadmodum victores populorum subactorum leges, ita etiam noui principes saepius antecessorum sanctiones mutarunt. Sic Tarquinium Superbum omnia salutaria Tullii instituta, legesque omnes, superbis moribus maxime contrarias, plane aboleuisse, Dionysius auctor est <sup>a)</sup>. Caligula maiestatis legem exeruit <sup>b)</sup>, quam ab eo restitutam <sup>c)</sup>, a Claudio denovo abolitam <sup>d)</sup>, a Nerone vero aliisque mali ingenii imperatoris reuocatam, Pertinax tandem penitus cum iureiurando, sustulit <sup>e)</sup>. Caligula, odio contra Tiberium incitatus, comitia, abrogatis illius constitutionibus, patribus eripuit, populoque reddidit <sup>f)</sup>. Ille histriones elecit; hic eos in urbem reuocauit. Mortuo Tito, qui delatores criminum grauiſſimi poenis afficerat, Domitianus fratri iniiciſſimus, non plura ſolum eius edicta, eademque optima fufuſit, fed delatores etiam maxime fouit <sup>g)</sup>. Quantum vero noui principis indoles ab antecessorum moribus ſaepè diſſat; tantam etiam inde reipublicae legumque diuersitatem interdum naſci, videmus. Marco optimo



mo principe imperante, leges seruabantur, iuris aequiue studium florebat<sup>b)</sup>. At sub Commodo, eius successore, falsas, supplicia, provinciarum administrationes, inimicorum caedes, eventus litium, quin omnia erant venalia<sup>i)</sup>.

a) *Dionysius Halicarn. Lib. IV. c. 43.*

b) *Dio Cassius Lib. LIX. p. 737.*

c) *Idem Lib. LIX. p. 749.*

d) *Idem Lib. LX. p. 766.*

e) *Capitolinus in vita Perrinacis c. VI.*

f) *Dio Cassius Lib. LIX. p. 747.*

g) Exempla vide apud Sueton. in *Domitian. c. XII.*

h) Ita enim *Iulius Capitolinus* in eius vita c. XXIV. capitales causas hominum honestorum ipse cognovit, et quidem summa aequitate: ita, ut praetorem reprehenderet, qui cito rerum causas auxierat, inbererque illum iterum cognoscere, dignitatis eorum intercessu dicens, ut ab eo audirentur, qui pro populo iudicaret, et c. XXII. semper sane cum optimaribus non solum bellicas res, sed etiam ciuiles, priusquam faceret aliquid, consulit. Conferas quocto c. XVII.

i) *Aelius Lampridius in Commodo c. XIV.*

### §. XI.

His itaque rerum publicarum vicissitudinibus, damnisque, quae ex illis in leges redundant, consideratis, ad interiorum ciuitatum natum atque formam deferimus, in qua contemplanda, varia eademque grauissima legum impedimenta nobis sunt obvia. Cupiditates prius natas esse, quam leges, quae iis modum statuerent, verissima Catonis est sententia<sup>j)</sup>. At morbi optima medicina interdum sunt fortiores, ac inueterata mala, quod tristis experientia docet, leges saluberrimas faciunt vincunt. Respublica Romana, ingenti ciuium multitudine intellinis bellis amissa, et virtus parentum raro iuuentus, leges de matrimonii incundis, Papiani praelertim Poppaeam efflagitabat. Ciues itaque ad liberos legitimos suscipiendos tam' poenis adigebantur, quam variis etiam praemii honoribusque inuitabantur. Sed, licet, stupris adulteriisque reprimendis, matrimonii vero diligentius et contrahendis et custodiendis, variae leges sapienti consilio proponerentur; eae tamen tollendis vitiis diu inueteratis, haud sufficiebant. Cuius rei praecipuum fundamentum in prauis corruptisque vtriusque sexus moribus ponendum est. Feminae luxuriae deditissimae, integra patrimonia maritorum nimis ornamenti dissipabant. Iuuenes vero partim coniugia, tamquam onera nimis molesta fugiebant, partim vero furtiuos amores

magis

magis seclabantur <sup>3</sup>). Quae mala tam altas egerant radices, ut Romani leges, quae ea coercerent, aegre ferrent <sup>4</sup>), atque ab Augusto eorum abolitionem peterent <sup>5</sup>), Tiberius quoque ob ingentem peccatum numerum, plerosque legis Papiae nexus dissolueret <sup>6</sup>), Claudio vero Caesar ciuibus naues mercaturae caussa fabricantibus, eius vacationem, tamquam praemium gratissimum concederet <sup>7</sup>). Parcum diligentia ambitus criminis Romanos quolibet tempore obuiam iuuisse, variae leges perspicue docent. Nihilo secius haec reipublicae pernicias in comitia populi semper irrepit. Cum itaque exempla virorum sine illicitis studiis ad honores aspirantium essent rarissima, iure meritoque *Plutarchus* <sup>8</sup>), inter M. Catonis Uticensis laudes retulit, eum in petendo tribunatu militum legem, quae nomenclatores interdicebat, solum seruasse. Ipse Caesar, licet postea noxias candidatorum illecebras reprimere, nulla lege obstante, pontificatum maximum petuit, non sine profusissima largitione, omnibusque aurae popularis captandas artibus adhibitis <sup>9</sup>). Augustum, multiplici poena coercito ambitu, Fabianis et Scaptiensibus tribulibus suis, die comitorum, ne quid a quoquam candidato desiderarent, singula millianum diuifisse, Suetonius auctor est <sup>10</sup>). Aliud de maxima prauae conuentudinis in legibus minuendis vi illustre exemplum *Dio* affert <sup>11</sup>). Mutatis cum republica cuiuscunque ordinis hominum moribus, inter equites in ludis gladiatoriis certandi libido inualuerat. Ne quis tale facinus contra dignitatem equestrem susciperet, Augustus edicto cauebat, adiecta nota ignominiae. Nihilominus multi in arenam descendebant, et ipsum necis periculum subeuntis, Augustum ut infaniae eorum cederet, commoueabant. Eandem rem mathematicorum irrita exilia demonstrant. Genus hoc hominum, potentibus, ut *Tacitus* loquitur <sup>12</sup>), infidum, sperantibus fallax, in ciuitate Romana vetabatur semper, et retinebatur, nec Vespaſianus optimus princeps ea superstitione vacabat. Quid in legibus sumtuariis infringendis mores depravati valuerint, non est obscurum. Obscenatio luxuria, vitiorumque firma concordia, Orchiam, Fanniam, Didiam, Liciniam, Corneliam, aliasque leges, nemine abrogante, irritas fecit <sup>13</sup>). Quas omnes Romanorum mores in potestatem suam ita redegerunt, ut Crassus et Pompeius, Consules ipsi in victu magnifici, Hortensio resistente, legem nouam contra sum-

tus in dies crescentes, ne perferre quidem possent <sup>9).</sup>). Nec Caesaris circa macellum custodia disposita, neque Tiberii, Neronisque edita quicquam profuerunt, donec praecipuus adstricti moris ancor Vespasianus fieret, antiquo ipse cultu, victuque <sup>9).</sup>). Nec veteres Romani solum hanc notam merentur, sed Germanorum etiam leges autis malis tollendis fuisse impares, satis constat. Quem enim fugiunt illa Germaniae tempora turbulenta, quibus priuata bella indicebantur, et quaelibet iniuria armis vindicabantur? Licit quoque hanc effrenatam licentiam Maximilianus I, pace publica feliciter restituta, coerceret, altas tamen eius radices funditus extirpare non potuit. Furor e contrario multorum, qui falsis praeiudicatisque opinionibus de vero honore obcoecati, omnes iniurias sibi illatas, sanguine abluendas esse decebant, principes, ut singularia certamina acerbissimis sanctionibus interdicerent, commouit <sup>9).</sup> Sed has etiam, gladii, laquei, infaniaeque poenam minitantes, saepius adhuc neglectas fuisse, tristis experientia docuit. His duo adhuc singularia vita, scilicet, nimiam legum interpretandarum licentiam, priuataeque utilitatis studia, quae legibus obsunt, adiiciamus, tandemque vim morum in legibus minuendis, contemplemur, pauca de magistratum improbis moribus subiuncturi.

- a) *Liuius Lib. XXXIV. cap. 4.*  
 b) *De quibus Augustus apud Dionem Lib. LVI. pag. 660. queritur.*  
 c) *Suetonius in Augufti vita cap. XXXIV.*  
 d) *Dio Caiſſius Lib. 56. in principio.*  
 e) *Tacitus Annal. Lib. III. cap. 28.*  
 f) *Suetonius in Claudii vita cap. 19. et 23.*  
 g) *Plutarclius in vita Catonis Vitie. c. 8.*  
 h) *Dio Caiſſius Lib. XXXVII. p. 52.*  
 i) *Suetonius in Augufti vita c. XL.*  
 k) *Dio Caiſſius Lib. LVI. pag. 672.*  
 l) *Tacitus Histor. Lib. I. cap. 22. Conf. Lib. II. cap. 62. Annal. Lib. II. c. 32.*  
*Dio Caiſſius Lib. XLIX. p. 477. Lib. LVII. cap. 702. sequ. Xiphilini epitom. p. 205.*  
 m) *Macrobius Saturnal. Lib. II. c. 13.*  
 n) *Dio Caiſſius Lib. XXXIX. p. 119.*  
 o) *Tacitus Annal. Lib. III. c. 55. Suetonius in Vespasiano cap. n.*  
 p) *In Gallia a Ludouicio XIV. cloaclxii. ab electore Brandenburgico Friderico, cldclXXXVIII. in Saxonicas terris a potentissimo rege Poloniae, Friderico Augusto MDCCVI. et eiusdem saeculi anno duodecimo, mos barbarus fuit proscriptus.*

§. XII.

## §. XII.

Optimae leges interdum callidis interpretum artibus, fraudibusque ingeniosis ita elusae fuere, ut omni profus auctoritate deslituerentur, id quod nonnullis exemplis ex Romana historia desumis, ostendere est animus. In liberali causa vt praetores vindicias secundum libertatem darent, iam in XII. tabulis erat cautum. Appius, Virginiae amore captus, hanc legem improbae libidini obflare, sciebat. Cum igitur Claudius, quem sceleris satellitem subornauerat, eam in servitatem abriperet, Icilius vero puellae sponsus, aduocatique ad illam legem prouocarent, et vindicias secundum libertatem, vsque ad patris aduentum peterent: Appius, morae impatiens, callido edicto legem ita interpretabatur, vt in lite de possessione puellae inter patrem dominumque, patre absente, puella domino in custodiam daretur <sup>a)</sup>. Ne quis plus, quam quinquaginta iugera agri possiderer, C. Licienus contra ditiorum auaritiam cauerat <sup>b)</sup>. Quum vero postea ipse mille iugorum agri cum filio possideret, filiumque, ne ipse suo gladio iugularetur, in legis fraudem emanciparet, a M. Popilio Lenate, sua lege, decem millibus aeris damnatus est <sup>c)</sup>. Quaeftio seruorum in caput domini, olim prohibebatur <sup>d)</sup>. Tiberius autem callidus et noui juris repertor, mancipari singulos actori publico iubet <sup>e)</sup>. Eadem ratione Pompeius primi perpetui Romae theatri exfractor, veritus animaduersiōnē censoriam, Veneris acdem superposuit <sup>f)</sup>. Ad eum finem quoque tendebant sponiarum impuberum in domum deductiones, et matrimoniorum crebrae mutations <sup>g)</sup>, nec non fictae adoptiones, quibus orbi, honorum consequendorum gratia, filios adsciebant, vt legem Papiam eluderent <sup>h)</sup>. Eo confilio Verres secundum legem Syracusanorum de cooptando Iouis sacerdote, tres quidem fortes in hydram coniici iubebat; quibus vero omnibus inscriptum nomen Theomnasti <sup>i)</sup>. Ob legem, ne duo eiusdem gentis essent pontifices, Spinther filium suum Manili Torquati genti in adoptionem dedit, et legis verbis satisfecit, re ipsa vero eandem violauit <sup>k)</sup>. Furiae, atque Voconiae legis eludenda modos a Romanis varios fuisse excogitatos, quis nescit? Modo verba, ne cui ultra M. asiles legare licet, captantes, nulla quidem, quae eam suminam excederent, tot vero legata singula scribabant, vt paruum, vel etiam nullum lucrum

heres caperet; modo fiduciario herede eo consilio vtebantur, ut is filiabus, aliisque personis, quibus lex obstat, integrum hereditatem restitueret; modo censum inique interpretantes, incensi manebant; modo vniuersam hereditatem inter multos legatarios atque heredem ita diuidebant, ut cum aequae singulis datae fuissent portiones, legi fraudem facerent<sup>1)</sup>. Nec prudentes apud Romanos, *Cicerone subfcribente*<sup>2)</sup>, cauillationum accusare, dubitamus. Illorum scilicet ingenii, ea, quae praeclare legibus constituta erant, pleraque corrupta, atque depravata sunt, variaeque eorum sententiae atque responsa ius incertum reddidere. Quam late vero *Livii* tempore legum interpretandarum licentia vagata fuerit, eius verba satis docent<sup>3)</sup>. Nondum, inquit, haec, quae nunc tenet seculum, negligentiam Deum venerat: nec interpretando sibi quisque insurandum et leges aptas faciebat, sed suos potius mores ad ea accommodabat. Sed iam ad alterum, quo saepius respublica laborat, vitium progrediamur.

- a) *Livius Lib. III. cap. 45. Dionysius Halicarn. Lib. XI. cap. 31.*
- b) *Livius Lib. VI. cap. 35.*
- c) *Livius Lib VII. c. 16.*
- d) *L. 1. 25. D. de quaestione.*
- e) *Tacitus in Annal. III. cap. 30. Quod Dio Lib. LV. pag. 63. Augusto tribuit.*
- f) *Tertullianus de spectaculis cap. 10.*
- g) *Tacitus Annal. Lib. III. c. 25. Dio Cassius Lib. LIV. p. 69.*
- h) *Tacitus Annal. Lib. XV. c. 19.*
- i) *Cicerio in Verr. II. c. 51.*
- k) *Dio Cassius Lib. XXXIX. p. no: στοιχεῖαν ὁ νόμος ἐν τοῖς ἑαυτοῦ εγκριθεῖσιν, τέτταντα κατετέλεσθαι.*
- l) vid. *Perizonii differr. de lege Voconia, edit. Heinicci. p. 17. 18. 19.*
- m) *Cicerio pro Muraena c. 12. Conf. Lib. I. de Officiis c. 10.*
- n) *Livius. Lib. III. c. 20. Charondae institutum nobis maximopere placet, quem quidem, ne pro lubitu quilibet in ciuitate leges interpretari possit, egregie cauisse, Diodorus testis est Lib. XII. p. 297. 298. ed. Steph.*

### §. XIII.

Etsi omnes fere homines expetere utilitatem ad eamque rapi solent, maximopere tamen dolendum est, multis saepe ad ea, quae priuatis commodis magis, quam publicae saluti expedient, impeli. Sed et utilitas priuatae studio, quatenus illud communi saluti aduerfatur, legum

legum vires eneruatas fuisse, variis exemplis constat. Clodius, haud obscuri nominis tribunus plebis, Ciceronem capitali odio prosequebatur, eique nocere maxime studebat. Ne vero quis consiliis suis resisteret, legibus de censoria potestate, ipsi etiam metuenda, imminutis, omnium ordinum fauorem captabat <sup>a)</sup>. Aliud exemplum, quod huic argumento conuenit, nobis suppeditat *Suetonius* in *Nerone* cap. 2. vbi de Nero-nis atauo Cn. Domitio refert, eum in tribunatu pontificibus offendit, quod alium quam se in patris locum cooptasset, ius sacerdotum surrogandorum a collegiis ad populum transtulisse <sup>b)</sup>. Antonius contra ea, vt Lepidum, quem ob potentiam metuebat, eo facilius pontificem M. creare posset, hoc ius populo admitem, pontificibus reddit <sup>c)</sup>. Quid vero de Ca. Pompeio suarum legum et auctore, et subversore, dicam? Hic quidem sanctiones suas de ambitu, iudiciis, aliisque rebus, <sup>d)</sup> amicitia, priuatisque commodis ductus, ipse corrupit <sup>e)</sup>. Quae studia cum auctoritate, nimiaque in republica potentia niterentur, leges sine dubio eo facilius superatae sunt. Etenim, quod plus paucorum opes, quam libertas plebis poterant, legis Valeriae, in fauorem plebis vnicate, saepius renouandae, causam fuisse *Lithius Lib. X. cap. 9.* existimat. Caesar, qui ius regnandi gratia violari posse, credebat, socero atque genero suffragantibus, et vi armorum confus, omnia turbauit atque commisericuit <sup>f)</sup>. Iisdem adminiculis frētus Antonius, contra leges moresque maiorum multa suscepit antea inaudita <sup>g)</sup>; et cum inter filios Tiberii et leges, Senatus disceptaret, vicia est sine dubio lex, vt ait *Tacitus* <sup>h)</sup>, sed neque statim et paucis suffragiis, quomodo etiam cum valerent, leges vicebantur. Quae effrenata potentia, qua Nero imprimi pessimi ingenii princeps, abutebatur, impiam eius atque nefandam vocem, omnium legum ludibriū, *sane legem Iuliam timeo*, peperit <sup>i)</sup>.

a) *Dio Cassius Lib. XXXVIII. p. 73.*

b) παρὰ τὸν τῷ Σύλλογον νόμον inquit *Dio Cassius Lib. XXXVII. p. 52. Conf. Dionys. Halicarn. Lib. II. c. 73.*

c) *Dio Cassius Lib. XLIV. p. 305.*

d) *Eas S. V. Erneſti ad Taciti Annal. Libr. III. c. 28. recensuit.*

e) Exempla vide apud *Dionem Lib. XL. p. 152, 164.*

f) Quod exempla docent apud *Sueronum in Caſeare c. XXII. XXVIII. XXX.*

g) Ob quam rem eum grauiſſime vituperat *Cicero in Philipp. V. cap. 3. 4.*

h) *Ta-*

- h) *Tacitus Annal. II. c. 51.*  
i) *Suetonius in Nerone c. XXXIII.*

§. XIV.

Obstat quoque legibus saepius morum inueteratorum confuetudo, cuius constanter retinenda studium non in singulis duntaxat hominibus, sed etiam in vniuersis gentibus deprehenditur. Etenim haec fuit praecipua clavis Varianae causa. Germani scilicet, prisearum confuetudinum studiosi, morumque innatorum adhuc memores, nouis Vari institutis Romanisque vestigialibus, pristinum rerum statum anteponebant, ideoque primores aequae ac vulgus in eius perniciem conspirabant <sup>a)</sup>. Eodem modo Parthos rex a maiorum institutis alienus incendebat, quam rem *Tacitus* eleganter describit: *Promti, inquit, aditus, obvia comitas, ignotae Parthis virtutes, noua vita; et quia inforum moribus alieno proinde odium prauis et honestis* <sup>b)</sup>. Apud Romanos antiquis clientelarum mos multum ad minuendas leges sumtuariis contulisse videtur. Ut enim quisque domo, varioque apparatu instructus, clientelis copiosis nomen nobilius, famamque clariori rem appetebat, ita mirum non est, quod ambitio illustres familias ad magnificientiae studium euixerit <sup>c)</sup>. Diurnae quoque confuetudini insignem auctoritatem variae *Digestorum* et *Codicis* leges tribuant <sup>d)</sup>. Nec quis temere negauerit, ipsi moribus leges antea receptas mirum in modum mutari, ita, ut nulla amplius earundem vestigia remaneant. Ex multis exemplis vnicum, querelam scilicet inofficiosi testamenti apud Romanos, in medium proferimus. Cum enim plerumque parentes sine causa liberos suos exheredarent, vel omitterent, mos inualuit, quo liberis exheredatis, de neglecto parentum officio queri, et fictione sanae mentis deficientis, ultimam eorum voluntatem impugnare licebat <sup>e)</sup>. Quodsi vero antiqua Germanorum foram atque iudicia introeamus, miram sane litigandi, iudicandique foram conspicimus. Versantur ante oculos iudices ferrum scutumque expedientes, partes singularē certamen ineuntes, ius iniuriamque armis vindicantes. Quod cum non solum in iudiciis criminalibus, sed et in causis ciuilibus <sup>f)</sup>, obtineret, leges antea propositas effectas fuisse irritas, inde facile est ad intelligendum.

<sup>a)</sup> *Die*

- a) *Dio Cassius LVI.* pag. 667. Conferas *Auctorem des Geists der Gesetze der Deutschen.* c. VIII. §. 3.  
 b) *Tacitus Annal.* Lib. II. c. 2.  
 c) *Tacitus Annal.* Lib. III. c. 55.  
 d) *L. 32. D. de leg. ex L. 2. C. quae sit longa consuetudo.*  
 e) *Princ. Inst. de officio testamento,* et ad eum locum *Ottонem consulas.*  
 f) *Locus classicus de duellis judicialibus existat in Iur. Prou. Sax. Lib. I. arr. 62.* De eorum vita in causis civilibus, e. g. in possessione ducia, vide *Leg. Aleman.* c. 84. Conferas etiam *Lehmanni chron. Spirens.* Lib. II. c. 30. p. 123.

### §. XV.

Iam ad ultimam caussam, quae leges debilitat, magistratum scilicet malum exemplum et negligentiam, accedimus. Qui magistratum publicum sustinet, vti munus gerit nobile, ita et difficiles subire debet curas. In quibus principem locum obtinet acre legum tuendam studium, viis saepe molestis expediendum. Quodsi quis officio sibi imposito minus recte fungatur, inde vel ipsis legibus haud mediocre damnum infertur. Avaritia ortaque inde praeuaricationes iudicium, Romanos, vt saepius de iudiciis tam emendandis, quam mutandis, cogitarent, coegit <sup>4)</sup>. Crebrae accusationes, iudicia de repetundis habita, exilia atque supplicia iisdem iudicata, eorum improbitatem satis testantur. Vitia magistratum, omnia vi, ambitu, atque pecunia turbantium, *Tacitus* <sup>5)</sup> inter praecipuas mutatae reipublicae causas resert. Vtinam Auidii Cassii, priscas seueritatis viri, querelae hodie prorsus cessarent! *An ego, inquit* <sup>6)</sup>, *proconsules, an ego praefides putem, qui ob hoc sibi a Senatu et ab Antonino prouincias datas credunt, ut luxurientur, ut diuines fiant?* Optandum, vt omnes principes, Alexandrum Seuerum imitati, prouincialium magistratum nomina publice proposuissent, cum iis fortunae ac capita hominum committerentur <sup>7)</sup>. Cum enim plerumque fieri soleat, vt vulgus illustres viros studiose imiteretur, atque omnino magistrati, si culpa ipsum redarguat, turpe sit; ad eorum officium graue rite execundum, nihil sane magis necessarium est, quam vitae innocentia. Quis, quaevo, aliorum vitia sine rubore coercere atque punire potest, qui ipse prauis cupiditatibus tenetur? Inde quoque supina illorum in legibus tuendis negligentia orta est. Praeterea, dum hominum odia metu-



metunt, officia omittunt grauissima, dignitatique suae pariter ac legibus officiant. Ob eam caussam lex Caecilia, qua Censoribus priuilegia potestas lege Clodia imminentia, reddebat, irrita fuit <sup>a)</sup>. Haec fere sunt caussae praecipuae, quibus in legibus minuendis singularis vis atque potestas tribuenda esse, videtur. Sunt quidem adhuc alia legum impedimenta haud leuia v. c. aeris indo'es <sup>f</sup>), priuilegia <sup>g</sup>), multitudo legum, imprimis sibi repugnantium <sup>h</sup>), quas vero ob temporis penuriam, latius explicare non possumus. Nihil itaque superest, quam ut lectoribus nostris fausta quaevis apprecessur.

- a) Quo argumento Cicero in *Verr.* I. c. 8. 15. et II. c. 38. vsus est.
- b) Tacitus *Annal.* Lib. I. c. 2.
- c) Vulcatius Gallicanus in Auidio Caff. c. 14.
- d) Aelius Lampridius in *Alexandr.* *Suet.* c. 44.
- e) Dio Cassius Lib. XL. p. 162. 165. Insignis de magistratibus locus existat apud Ciceronem de leg. L. III. c. 12. 13. 14. vbi, ut hic ordo vitio careat, et ceteris specimen sit, requirit, et morum mutationes a principum ciuitatis exemplis repetit. Omnino vero Ziegleri *Dicastice* legi meretur.
- f) Vide *Autorem des Geists der Gesetze der Deutschen*, c. II. et c. III. §. 1. et 7. et Boehmeri *difserit*, de iuriib. diuers. ex diuersitat. climat. natis.
- g) Vide Montesquieu *l'esprit des lois* Libr. VI. cap. I.
- h) Neque a legum multitudine ad bonos ciuium mores certum argumentum duci potest. Tacitus *Annal.* Libr. III. c. 27. Huc pertinet Caesaris consilium de legum immensa et diffusa copia in pauciores libros conserenda. Suetonius in *Caesar.* c. XLIV. Gellius Libr. I. c. 22.



ULB Halle  
002 265 427

3



(F) 56,



G. II. num. 22.

Q. D. B. V.

DE

# CAVSSIS VIM ET AVCTORITATEM LEGVM MINVENTIBVS

P R A E S I D E

## D. GEORGIO STEPHANO WIESANDIO

PROFESSORE INSTITUTIONVM ORDINARIO CVRIAЕ  
PROVINCIALIS SCABINATVS ATQUE COLLEGIO  
IVRECONSULTORVM ASSESSORE ORDINARIO

DIE XIV. APRIL. A. R. S. CICIOCCCLXXVIII.

H. L. Q. S.

PVBlice DISCEPTATVRVS EST

A V C T O R

ERNESTVS GOTTLIEB MEINHOFIVS,  
KEMBERGA - SAXO.

VITEBERGAE

EXCUDIT ADAMUS CHRISTIANUS CHARISIUS.

